O conjux, soror ô, superstes orbi
Sola ô foemina, quam genusque Fratrum
Communis thorus addidit maritam,
Nunc jungunt eadem mihi pericla:
Ambo turba sumus; sibi subegit
Pontus caetera, Nunc periclitatur
Vita et nostra: etiam stupere mentem
Certum est nubila. Quid tibi sinistris
Si fatis sine me superfuisses
Nunc esset miseranda Pyrrha mentis?
Quo tu ferre modo queas timorem?
Quo solante viro? tot et dolores
Sola sustineas? Ego profectò
Si te pontus haberet, in profundum
Te conjux sequerer, marisque fluctus.
O, gentes utinam artibus paternis
Nunc possem reparare, fundere atque
In terras animas. Genus duobus
in nobis hominum est superstes unis,
(Sic visum est superis) manemus ergò
Nos exempla Adamigenis miselli.
Haec ut dixerat, ora diffluebant
Fletu: complacuit Deum precari
Per sacras et opem rogare sortes.
Pergunt, nulla mora est, eunt ad undas
Una Cephisidas, adhuc liquatas
Nondum, sed vada nota jam secantes
Sanctos inde ubi vestibus liquores
Sparsere et capiti, pedes moventur
Ad delubra Deae sacra: colenda
Quorum culmina turpiter squalebant
Musco, ac ara rubens sine igne stabat.
Ut gradus tetigere lucida aedis,
Ambo pronus humi sacrata, uterque
Procumbit, gelidumque basiavit
Saxum formidolosus, haec verbis:
Si justis precibus remolliuntur
Victa numina, si levatur ira
Divorum; Themi dic patrona sancta,
Quâ lapsi reparabile arte damnum
Sit nostri generis, feraque mersis
Terris auxilium Dea aequitatis.